

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Jael.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

60 DIALOG. SACRORVM

stamur. *J.* c) Itaque tollite deos istos peregrinos, & expiate animos vestros Jovæ, Deo Israelitarum. *P.* Jovam Deum nostrum coleimus, & e dicto audientes erimus. *J.* Igitur consignabo hæc literis, & erigam hoc ingens saxum sub ha quercu, quod testis erit (utpote d) quod audiret omnia Jovæ ad vos dicta) si forte fregeritis fidem Deo nostro.

SEN TENTIA.

Deo Servatori, banorumque Datori servire debet.

J A E L. Judicium 4.

A R G U M E N T U M.

Jael Sisarum Cananæorum ducem dolo occidit.

Jael, Sisara, Baratus.

Diverte ad me, Sisara, quo fugis; diverte ad me tuto. *S.* Bene mones, Sed ubi abdes me? *J.* Bono animo es: sub hoc centone: hic latebis tutissime. *S.* Amabo, da mihi paululum aquæ, quod bibam: nam valde sitio. *J.* Imo lac dabo ex hoc sinu, quod melius est aqua. Hunc bibe. Nunc quiescito, ubi texero te hac stragula veste. *S.* Sed sta ad Januam casæ, ut si quis me queret, neges hic esse. *J.* Fiet. Nunc demum facinus edam magis fœminea manu. Quid hoc?

c) Ut Jova colatur, abjiciendi sunt peregrini dii. Nam duobus dominis servire non potes.

d) Præsens ac quasi testis adsit, perinde ac si audi verit.



gestit animus, jubetque audere ulcisci hostem Dei & bonorum. Periisti Sisara: fœminea vi fœminea manu interimeris. *B.* Quis mihi nunc, quis demonstret, quo fugerit hostis? Quem ego si asscutus fuero, dispeream nisi ei animam eripio malis modis. Sed quo se surripuit? quo fugit? *J.* O Deum immortalem, quantum ego facinus feci! quantam laudem inveniet Jael! Sed video-ne Baracum? Ipse est: sectatur hostem jam jacentem. Barace, huc sis ad me, ut tibi common-strem hominem quem queris. *B.* Obscro, est-ne is apud te? *J.* Videbis. *B.* Proh Superi, quid video? Sisaram jacentem humi exanimem? quis hoc fecit; *J.* Mulieris factum vides. *B.* At non muliebre tamen. Sed quæso, tune hoc fecisti? *J.* Ipsa res indicat. *B.* Video: sed narra, obscro, quo pacto egeris. *J.* Vidi fugientem, jussi, ut ad me veniret, eumque operui centonę. Deinde cum jam quiesceret, cepi clavum, quem malleo adegi in tempus ejus. Ille pro voluntus ad pedes meos, efflavit animam. *B.* Utinam sic pereant, quotquot adversantur Deo.

SENTENTIA.

Turpi morte digni sunt, qui Deo aut ejus populo adversantur. Debilium manu vincit Deus fortes.

GEDEON TRITVRANS. Judic. 6.

ARGVMENTVM.

Genius Gedeonem mittit ad debellandos
Madianitas.

Genius,

